

dicitur in rixa vel extra rixam, tunc veritas convictii, nullam præstat excusationem; sive convictium illud ex culpa provenerit, sive non. quia in actione injuriarum, animus injuriandi considerari debet, cum sit substantiale ejus actionis requisitum. Sed & de altero isto accusationis genere, ipsa quod Indicis viscera h. e. doctrinam Pufendorffio adscriptam non concernit, si in Judicio cognosceretur, omni jure ipsum quoque rejiciendum; quamlibet extra omnem calumniæ culpam esse videretur. *Articuli enim, Ictorum iterum præceptum est, non debent esse novi, sed ex ipsa causa principali, & ex ipsius libelli (Indicis hic puta,) visceribus desumpti. Si vero ad causam principalem non spectant, ad probandum non sunt admittendi, quia non relevant Richter App. XLIX, 19. fol. 182.* Omni itaque ex parte, omnia extra doctrinæ causam quæ prolata hic sunt, mero calumniandi injuriandique animo prolata esse, perspicue constat. Discutientur nobis tamen singula: & primum quidem

PRIMUM GENUS CALUMNIARUM.

§. 15. Quo integerrimum maximeque Ven. Virum, nescio cujus scœvitatis ingenii turbis serendis natæ, generaliter primum arguit. *Nescio inquit pag. 196. an primo huic loco cessurus sit Josua Schvartzius, quippe ex cujus cerebro Index Novitatum progenitus est, quemque in me impigit genii scœvitas turbis serendis nata, quiq; (præmiserat pag. II.) moribus est ita tetris ut, ubicunq; pedem posuerit, rixas Furie alicujus ad instar serat, societatemq; in quam malo sidere conjectus est, continuis turbis exercitam teneat.* Ego verò Josuæ Schwartzii genio vel moribus, fronti tuæ, Pufendorffii, aliud nihil impactum video, nisi quod Lipsienses

D

tibi